



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XVI. Sintne Clerici, Laicique distinguendi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

se Visibilem; Constare bonis & malis:
& perennare ad vique iudicium extre-
mum. Mat. 3. *Triticum congregabit in hor-
reum suum, paleas autem comburet igni in-
extinguibili.* Mat. 13. *Sinite utraque crescere
vsque ad messem. Messis autem consummatio
seculi est. &c.*

XXV. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ aiunt Ecclesiam Visibi-
lem posse errare.

CHRISTVS. I. Ego verò anathe-
ma dixi nolentibus Cedere Ecclesiæ in
omnibus. Mat. 18. *Quod si Ecclesiam non
audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*
Vnde praxis Conciliorum manat ius-
ta, anathematizans omnes parere
nolentes decretis suis. Neque ego do-
cui omnia, nam adhuc multa habeo dicere
*vobis, sed non potestis portare modo: Nec,
quæ docui, scripta sunt omnia; verum
vt tradita multa benè sunt, sic & erunt,
esseque debent.* Vide supra part. 1.

2. Adhæc, A me, ceu Capite & spon-
so, ab Sp. Sancto ceu Anima, guberna-
tur Ecclesia: Eph. 1. *Ipsium Me dedit Ca-
put super omnem Ecclesiam, quæ est Corpus
ipsius.* Eph. 4. *Vnum Corpus, & vnus Spiri-
tus.* Quocirca meus is, & Sp. Sancti fo-
ret error, si erraret Ecclesia. At nunc,
Ioan. 16. *Spiritus Veritatis docebit vos om-
nem veritatem:* omnem, nãuo nullo re-
lictò, non solùm necessariam & scri-
ptam.

IV. DE CLERICIS.

QVÆSTIO XVI.

*Sintne Clerici, Laicique distin-
guendi?*

XXVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERVS. Clericos à Laicis diseruit impia hominum
Traditio. Idem: Christianus populus est simplex, in
quo nulla secta. &c.

CALVINVS. *Tota Ecclesia est Clerus. Vtinam
Patribus nunquam venisset in mentem vti hac voce
Clerus. Vide Luthero-cal. p. 2. q. 4. 1.*

CHRISTVS. I. Quid attinet con-
tendere de nomine, cum de re constet?
De illo tamen ita Spiritus Dei apud
Ierem. 12. *Cleri eorum non proderunt eis.*
Et, 1. Pet. 5. *Pascite, qui in vobis est, Gregem
Dei. & c. neque vt dominantes in Cleris; sed
forma facti Gregis ex animo.*

2. Nam, vt benè Hieron. epist. ad
Nepot. *Propterea vocantur Clerici, vel quia
de sorte sunt Domini; vel quia ipse Dominus
Sors, id est, pars Clericorum est.* Ideo quif-
que nitatur esse, quod dicitur.

3. Hinc Colof. 1. *Dignos nos fecit, in par-
tem sortis Sanctorum.* Eph. 1. *In quo nos Sor-
te vocati sumus;* nullo merito nostro præ-
cedente; vt Pelagiani finxer.

4. Ego Cleri ab Laicis distinctio-
nem innouaui: Nam Ioan. 17. *Ego elegi
vos, sc. è populo; & posui vos, vt eatis &
fructum afferatis, & c.* Sicut Num. 18. *Deut.*
18. *Leuitæ dicuntur esse de sorte Domi-
ni; & Dominus sors eorum ac hæredi-
tas; vt quibus dedit sortem extra alios
de plebe; & insuper donauit decimas
ac oblationes.*

5. Instè terra dehiscerat Chore, Da-
than & Abyron, Num. 16, quod contra
Sacerdotes, id est, Clerum cie-
rent seditionem.

QVÆ.